

demus ex suis quoque dogmatibus supra expositis sequi pares numero esse ideas cum hisce nostratibus speciebus. Id enim [331] non solum impossibile non est, sed videtur apprime necessarium, ut enim Socrates et Plato ὁμοειδεῖς, *eiusdem speciei* sunt et inter se et cum eorum patribus Sophonisco et Aristone, ita semina horum in illis generandis ὁμοειδῆ, *eiusdem quoque speciei* fuerunt. Calores iis seminibus inclusi et spiritus in caloribus et natura in spiritibus et anima humana ab anima universali dependens et haec ab intellectu aut Deo, in quo sit iynx seu forma seu idea humanae speciei, qua singuli homines sunt comprehensi. Eadem est ratio de aliis omnibus speciebus, quae totidem sunt numero quot ideae illae. Nulla ergo est obiectio haec verumque est haec cum illis eandem habere denominationem, quia et essentiam ab illis participant: ut enim calor in igne essentialiter est, in re vero calefacta per participationem ab igne, ita homo in me est per participationem hominis primi, qui in illis est ac semper est itaque et esse haec nostratia et fieri ab illis uti a causa, recte etiam ex Aristotelicis positionibus superius deductis verum erit et Aristotelem cum haec oppugnat et verum et positiones suas oppugnare apparet.

Verum quoque est haec nostratia aequivoca esse illis ex sua positione, qua ipse docet libro ultimo De ente capite etiam ultimo corruptibilia ab incorruptibilibus genere distare, sed nostrates hae formae, corruptibiles cum sint, procul dubio ab aeternis illis genere distabunt atque ideo aequivoce dicentur hac ratione.

Neque obstat quod fine eiusdem infert.<sup>47</sup> *Clarum ergo, quod non possunt esse ideae tales, quales dicunt quidam: erit enim homo alius quidem corruptibilis, alius vero incorruptibilis, tametsi specie eadem dicuntur ideae hisce aliquibus, et non aequivoce, at genere altera plus distant quam specie<sup>xvii</sup>: ideae enim cum hisce eiusdem sunt speciei,*

<sup>47</sup> φανερόν τοίνυν ὅτι οὐκ ἐνδέχεται εἶναι εἶδη τοιαῦτα οἷα λέγουσιν τινες. ἔσται γὰρ καὶ ἄνθρωπος ὁ μὲν φθαρτός, ὁ δ' ἄφθαρτος. καίτοι τῶ εἶδει ταῦτα [ταῦτα] λέγεται εἶναι τὰ εἶδη τοῖς τισὶ καὶ οὐχ ὁμώνυμα· τὰ δὲ γένει [γένει] ἕτερα, πλεῖον διέστηκεν ἢ τὰ εἶδει [εἶδει]. [ARIST. Metaph. 1059a.10 – 14]

<sup>xvii</sup> Corr. ex species